



## Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

## Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

## Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>

DISPV TATIO PHILOSO-  
PHICA

# DE IVRE

*QVAM*

D. O. M. A.

PRAESIDE

HERMANNO CONRINGIO,  
PHILOSOPHIÆ AC MED. D. ET  
PROF. PVBLICO

IN INCLVTA ACAD. IVLIA

*Publico examini subjiciet*

Ad diem 18. Octobr.

BERNHARDVS FAVLIVS  
ROSTOCHIENSIS.



*HELMÆSTADI,*

Typis exscripsit IACOBUS LUCIUS,

Anno M. DC. XXXVII.

DISPUTATIO PHILOSOPHICA  
DE IVRE

D. O. M. A.

WILHELMO CONTRINGIO  
PHILOSOPHO AC MED. D. ET  
PROF. PUBLICO

IN ACADEMIA ACAD. IURIS

Publico examini subiecta

Anno 1808

BERNHARDVS FAVIVS  
RUSTORHENSIS



Helmstedt

Typis excusavit Iacobus Lucas

Anno M. DC. XXXVII



DISPUTATIO PHILOSO-  
PHICA

DE JURE

THESIS I.

**N**aturam Iuris inquirere non agemus initio prolixè de significationibus variis vocabuli Iuris. Nimis enim longum id esset: cum plurimæ sint ejus vocis ac planè diversissimæ acceptiones: Tum verò ad nostrum negotium non multùm pertinet. Satis enim est nostro quidem instituto, (nisi fallimur admodum) tantùm exponere, quid nobis impostero isto vocabulo veniet.

II. Igitur neq; multis disputabimus, satisne rectè definitum sit Celsò *l. 1. ff. de just. & Jur. Ius ars boni & equi*, ut scilicet Ius dicat ipsam Prudentiam Iuris. Neq; demonstrabimus, Ius etiam olim appellatum Romanis illum locum ubi prætor Ius dicebat, eò quod prætorum esset quæstiones Iuris, Iudicum verò facti decidere. Quod cum alij tum & *Dominicus Soto l. 3. de Iust. & Jur. q. 1. art. 1.* perperam negant, contra Paulum Ictum qui disertè scripserat. *l. Ius plurib. ff. de Iust. & Jur. Alià significatione Ius dicitur, locus in quo Ius redditur, appellatione collata ab eo quod fit in eo ubi fit.*

III. Constat autem Ius etiam passim significare omnem Iustitiæ objectum. Ut scilicet idem sit Ius quod Iustum, hoc verò est id quod cum Iusticia congruit. *Ius enim ut loquitur Cicero apud Augustinum l. 12. de Civitat. Dei*

cap. 21. esse dicunt quod de Iustitia fonte manavit. Quo forte respexit Ulpianus, Ius à Iusticiâ appellarum inquiring: minus rectè aliàs locutus, si Grammaticam nominis originationem voluerit indicare.

IV. Nihil porrò vulgarius est, quàm ut Ius significet legem largiùs acceptâ legis voce. Quomodò optimè definiatur, *Regula humanorum Actuum ad certum aliquod illos obligans.* Quæ significatio à præcedente non multum adeò abest. Lex enim est ordo præscriptus Actibus humanis; justum autem est qualitas (ut ita loquamur) actuum humanorum exprimens illam ordinationem præscriptam. Scilicet quomodo differt numerus numerans à numero numerato, aut ulna, quâ metimur, ab ipsâ ulnâ panni, Ita & jus, quod justum differt ab illo jure, quod significat legem.

V. Largiùs autem dicimus ita accipi vocem legis. Aliàs enim Lex aut νομος propriè non quamvis Regulam notat Actuum humanorum, sed eam tantùm, quàm homines sibi constituunt. Quâ significatione & Aristoteli quoque accipitur τὸ νόμιμον, quando s. *Ethic.* Ius aliud inquit esse φυσικόν, aliud νόμιμον. Quando item passim opponuntur τὸ φύσει καὶ τὸ νόμῳ. Præterea, quando in *Rhetor. ad Alexand. cap. 1.* definitur νόμος λόγος ὁρισμένῳ καθ' ὁμολογίαν κοινὴν πόλεως, μηνύων πῶς δεῖ πράττειν ἕκαστα. Porro quando & à Sapiiano definitur, *Lex l. 1. ff. d. 11. Lex est commune præceptum Virorum, prudentium consultum.* Imò vero quando & Isidorus scribit, *L. V. lex est constitutio scripta.*

VI. Etsi autem affines usque adeò sint duæ illæ vocabuli Iuris usurpationes, ne qua tamen ambiguitas oriatur, nos præmonendum hîc duximus: potissimum nobis sermonem in seqq. fore de illo Iure, quod idem ac justum est ejusq; nos Naturam investigaturos.

VII. Vbi

VII. Vbi statim initio observandum cum Aristotele est: Iustitiam interdum universalius accipi ferè pro ipsâ Virtute: quomodo olim scripsit Theognis.

*Ἐν δὲ δικαιοσύνησιν ἀλλήθην πᾶσ' ἀρετῇ ἐστὶ:*

interdum strictius pro illâ virtutis specie, quâ suum al teri cuique tribuimus. Inde vero liquet etiâ, Jus s. iustum quod iusticiæ est objectum, modò latius accipi pro omni eo, quod homini est agendum, modò strictius pro eo solo, quid alteri, erga alterum agendum est. Nos vero de iure ita agemus, ut omnis omninò juris vel iusti, non autem illius tantum posterioris, natura atque Essentia in conspectum veniat.

IX. Esto ante illud jus nobis quidem nunc in li mine hunc in modum qd. delineatum; *Jus est, secundum quod humana Actiones bene sese habent: Injustum contra illud, secundum quod humana Actiones sese habent malè, & quidem, ut illa premiis, hæc pœnâ digna sint.*

IX. Vbi initio notandum; Jus & injustum propriè in solis humanis actibus reperiri, non autem capax esse eorû animantium genus. Neq; enim nisi valdè *καταχρηστικῶς* dixit Ulpian. l. 2. ff. de Iust. & Iur. *Jus Naturale esse, quod Naturâ omnia animalia docuit; nam jus istud non humani generis proprium sed omnium animalium, quæ in terrâ, quæ in mari nascuntur; avium quoque commune esse.* Quasi hinc descendet, Maris atque Fœminæ Conjunctio, quam nos Matrimonium appellamus; hinc item liberorum generatio, hinc educatio: videre scil. nos *cætera quoq; animalia, feras etiam istius juris peritâ censeri, vel perita censeri,* ut legere mavult Cujacius. Etsi enim nonnulli hæc non dubitaverint defendere, ut rectè & accuratè dicta, Tribonianus vero etiam instituta retulerit, quin tamen abusus hic intervenerit nominis Iuris, ne ipsi quidem doctissimi Ro-

manus juris interpretes negant, ut post alios docet Bach,  
*ad Inst. l. 1. Tit. 2. Text. 1.*

X. Quod si enim proprie Iure agunt bruta, etiam injuriam possunt committere, adeoq; & præmus & penâ affici meritò. At verò pauperiem quidem facere quadrupes potest, injuriam non potest, uti rectè dicitur *l. 1. ff. si quadrup.* & paulò infra patebit clarius. Addunt alij, si admittatur illa Ulpiani Definitio, fore ut & edere & bibere & dormire Naturalis sint juris omnia; quæ & ipsa nobis sunt cum brutis communia. At Objectio firma non est; neque enim dixit Ulpianus omne quod nobis cum brutis est commune, esse juris Naturæ, sed illud jus, quod nobiscum & bruta participant, naturale esse. Est enim ellipticus Ulpiani sermo, qui ita debet perfici: Jus Naturæ est illud jus, quod Natura &c. Sed nec illi disputant satis bene, qui negant Jus brutis competere eò, quòd homines nequeant injuriam brutis facere. Namque pari ratione neget quis & hominibus esse jura condita, quoniam Deus non possit injuriâ afficere ullam creaturam. Ea scilicet diversitas est superiorum, ut illis in multis erga inferiores ac mancipia voluntas sit pro lege, in quibus inter servos mutuo jus arctum intercedit.

XI. Quoniam tamen bruta neque inter sese neque in hominem committere proprie dictam injuriam possunt, satis patet id quod diximus esse verum, jus atq; injustum hominis tantum actionibus convenire. Vidit autem id rectè & Hesiodus qui primò ἐργ. καὶ ἡμέρ. ita loquitur:

Τόνδε γὰρ ἀνθρώποισι νόμον διατάξῃ Κρονίων.

Ἰχθύσι γὰρ καὶ θηροῖ καὶ βίανόις πετηνοῖς,

Ἔσθῃ μὲν ἀλλήλων ἑσπεῖ & δίκη δῆ μὲν αὐτῶν.

Ἀνθρώποισι δ' ἔδωκε δίκην, ἢ πολλὸν ἀρείσην.

XII. Neque verò firmum licet argumentum petere  
ejus,

estus, quod homini licet ab eo quod à brutis fit: quo tamen probationis genere multi solent uti per frequenter. Et enim & brutis à naturâ posita sit vivendi ratio, habeantque etiam illa finem aliquem à natura rerum quasi præscriptum, quem si excedant monstra sunt: attamen plurimum differt tota illorum natura à natura hominum. Unde simul liquet absurditas Cynicorum veterum, qui in propatulo nihil non censebant agendum esse, eo quod idem & canes & reliqua bruta facerent.

XIII. Quanquam verò ex hisce constet solas humanas actiones juris esse capaces, attamen adhuc clarius atque firmiter id ipsum ostendendum, simulque causa indicanda, quare bruta nihil possunt jure agere. Id enim scire demum philosophicum est. Observandum ergò primò est bruta omnia ut intellectu ita & arbitrij libertate destitui, inter omnia autem animantia solum hominem utraque facultate esse præditum. Licet enim etiam bruta multa agant satis mira, neque cognitio aliqua ipsis desit, neque sponte agendi potestas; attamen neque ratiocinari verè possunt seu universalia discursu aliquo animæ per vestigare, neque ita Domini sunt suarum Actionum, ut objecto præsentis atque positis omnibus ad agendum requisitis, Actiones suas suspendere illa possint.

XIV. Phantasia ergò & sensibus multa quidem reliqua ista Animantia assequuntur, propriè tamen dictas intellectus Actiones in ijs non licet deprehendere. Ut reverà vocabulis luserint Pythagorici, omnibus sensu præditis rationem ascribentes; quorum sententiam defendere conatus est Plutarch. libello, quem inscripsit *πεὶ ἀλόγα λόγια χρῆσθαι*; & altero, *πέπερα τῶν ζῶων φρονιμώτερα*; conatus etiam est Porphyrius l. 3. *πεὶ ἀποχῆς τῶν ἐμψύχων*, qui tamen ex Plutarcho pleraque transcripsit. Similiter sponte quidem



dem sua agunt bruta: at non idem est sponte quod liberè agere & voluntariè. Nisi vocabulo itidem velis abuti, & voluntarium appellare omne quod est spontaneum, Quod quidem & Doctores Scholastici fecerunt, ut tamen voluntarium aliud secundum perfectam aliud secundum imperfectam rationem dixerint, atque hoc brutis, illud homini soli adscripserint.

XV. Observandum secundo est: Nihil aut poenam illam, quæ τιμωρία dicitur Græcis, mereri posse aut illi oppositum præmium, nisi verè fiat liberè τιμωρίαν dico nemo nisi liber meretur. Aliàs enim poena quoque dicitur, quæ emendationem tantum habet propositam ejus qui deliquit, aut exemplum: quos duos fines solos, in poenis habere locum perperam dissevit Plato in Gorgiâ, postq; illum multi censent. Quibus longè rectius Aristoteles Διαφέρει inquit 1. Rhetor. cap. 10. Τιμωρία καὶ κόλασις ἢ μὴ ὁ κόλασις τὸ πάχοντ' ἕνεκα ἐστὶ ἢ δὲ τιμωρία τὸ ποιῆντ', ἵνα δὲ ποῦληρωθῆ. Est scilicet τιμωρία Clemente Alexandrino definiente κακῆ ἀνταπόδοσις εἰς τὸ τὸ πμορῆντ' συμφέρει ἀναφερομένη, Mali Retributio ad exigentis utilitatem relata. Et si autem Petro Pomponatio libro quem de fato inscripsit, pro justa fatalium delictorum punitione disputanti fortè concesserimus, habere τὴν κόλασιν quodammodo & in brutis locum: quomodò sanè videmus mansvescere feras ac quasi emendari plagis: τιμωρία tamen non nisi liberis delictis convenit, quod aliàs demonstratur.

XVI. Observandum tertio est atque hic αἰτήματ' loco ponendum: Solum quod justè fit aut injustè τιμωρία aut illi respondente præmio dignum esse. Tantum dico dignum esse: id est licere nec esse iniquum si injustè facta puniantur, justè facta præmio afficiantur: quoniam hæc sanè omnes homines consentiunt. Nec tamen dubito

**Subito verissimum & illud esse: Omnem injuriam debere puniri & omni actioni justæ deberi præmium, ut contra fieri sit iniquum. Sed hæc probare alterius scholæ est.**

**XVII.** Observandum quartò. Posito etiam verum esse id quod tamen operose post Magistrum suum Pomponium astruere conatus est Simon Portius, non aliam esse humanæ voluntatis, quam appetitus illius qui est in brutis naturam, longè plurima tamen humanæ voluntatis arbitratui permessa sunt, quæ ut non possunt non ignorare bruta, ita nec fugere nec experere queunt. Quin constat talia esse omnia illa circa quæ leges & iura versari solent. Neque enim Civilis vitæ rationem scire bruta possunt: ergo nec appetere nec fugere isthæc quibus civilis vita continetur. Vt potè cum nihil possit appeti quod ignoratur.

**XVIII.** His verò positis principio apparet, veram causam cur Iuris particeps solus homo sit, bruta verò ejus capacia non sint, esse quod solus homo liberum habeat agendi arbitrium. Quum nimirum solus liberè agat, hinc solius hominis actiones vel præmium vel pœnam possunt mereri: id quod proprium est earum actionum quæ Iure vel injuria fiunt.

**XIX.** Deinde etiam liquet; aliam quoque ob causam meritò posse dici hominem solum Iuris esse capacem, non a. bruta: nempe quòd soli homini datum sit civilem colere societatem, adeoq; illas exercere Actiones, in quibus justæ atque injustæ ratio quam maximè elucet. Etsi enim & alia animalia societatem aliquam colant, longè tamen illa est infra illam, quam civilem nuncupamus.

**XX.** Igitur quod *Gen. IX. 5.* dicitur, Deum vindicaturum Sanguinè hominis etiam in bruto, & *Exod. XXI. 28.* jubetur Bos cornupeta, qui hominem occiderit, lapidari, & *Levit. XX. 15.* mandatur occidi jumentum, qui cum homo sese

B

com-

commiscuit; non eò pertinent, qf. juris atq; injuriæ, pœnæ  
atque præmiorum, capacia sint & bruta, verùm fiunt hæc  
in signum detestationis illius; quâ Deus isthæc scelera pro-  
sequitur. Planè quomodo cum Achæe ipsum ejus ten-  
torium comburebatur: & hodieque ædes eorum, qui ma-  
nus Regibus ac Principibus intulerunt, solo æquantur, ipso  
etiam solo sale consperso in signum abominationis.

XXI. Similiter id quod Q. Mutius pronunciavit  
*l. ii. ff. si quadrup. paup.* Cum Arietes vel boves comississent,  
& alter alterum occidit, siquidem is perisset, qui aggressus  
erat, cessare actionem, si is qui non provocaverat, com-  
petere actionem: non ad pœnam pertinet ipsius bruti, sed  
ad Dominum. Cujus est damnum à suis datum resarciri.  
Non a. propriè damno affecerat is, cujus quadrupes se  
defendens alterum occidit; sed is, cujus aries aut Bos ul-  
trò provocans occidit provocatum. Ita sanè malum  
legem illam defendere, quàm Explicationem, quam Ba-  
chov. ad Inst. l. i. T. i. habet, adferre.

XXII. Caterùm si liberæ tantùm Actiones justæ &  
injustæ sunt capaces, manifestum est, ne omnes quidem  
Actiones hominis ejus esse dignitatis, ut justæ aut injustæ  
dici mereantur. Primò enim vegetativæ operationes,  
quæ cum plantis communes nobis sunt, nullo modo sunt  
in potestate nostra: ut esurire, aut sitire, aut cibum in san-  
guinem, sanguinem in partes corporis vertere. Similiter  
ut cor palpiter aut pulmones aërem ducant necne, in no-  
stro situm arbitrato non est. Habet nim. potentia vege-  
tativa sese ferè ut ignis qui coquit, calefacit, absument suum  
alimentum, indiget refrigerio, non sponte tamen, multò  
minus verè liberè.

XXIII. Deinde operationes, quæ à facultate sen-  
sitivâ dependent, spontaneæ quidem sunt, non tamen ve-  
rè

re liberae in sese sunt. Aptae tamen natae sunt, quae ratio-  
nis atque voluntatis nutu pareant, nisi pravâ consuetudine  
habitum vitiosum contraxeris. Illo enim contracto jam  
quidem amplius in potestate tuâ non est, ut illicò possis  
habitum illum exsuere, atque secundum virtutem vivere  
*Aristotel. l. 3. Eth. c. 7.*

XXIV. Igitur vegetativae operationes quidem nul-  
lo modo justae aut injustae sunt capaces: Sed nec sensitivae  
simpliciter & in universum, sed tantum, in quantum illae  
subjacent imperio voluntatis. Bene enim Aristoteles *l. 2.  
Eth. c. 4. ex Affectibus*, inquit, *non solemus laudari aut vitupe-  
rari: non enim qui timer aut irascitur, laudatur, neq; qui iras-  
citur simpliciter, vituperatur, sed qui quodam modo ita affici-  
tur.* At cum nec eatenus verè liberae sint, h. e. libere eli-  
ciantur ab appetitu sensitivo ipso, sed per accidens tantum;  
justum autem & injustum si tantum verè liberarum ope-  
rationum, apparet primò & per sese, justum atque inju-  
stum esse situm in voluntatis Actionibus: Secundariò licet  
& operationes sensitivae justae atque injustae aut bonae aut  
mae etiam dicantur rectè. Planè ut Digiti bene vel ma-  
lè fides dicuntur pulsare, aut aliud aliquod instrumentum  
laudari solet aut vituperari, quòd promptè sequatur uten-  
tis arbitrium nec obluetetur: Vt proinde nec simpliciter  
dici possit, virtutum vitiorumq; subjectum esse volunta-  
tem, quòd statuit Bonaventura & Scotus, nec simplici-  
ter affirmari virtutes ac vitia in appetitu sensitivo reside-  
re, quòd vult Franciscus Piccolomineus. Nempe & hic  
& illic virtutes sunt sed non eodem modo. Quòd opti-  
mè exprimit Aristoteles *l. 1. Polit. c. 9. Est in animo, quòd  
Natura imperat & quòd paret, quorum diversam censemus esse  
Virtutem, ut sc. rationem habentis & carentis ratione.*

XXV. Cum verò operationes appetitus sensitivi in

B 2

tantum

tantum duntaxat sint capaces justi atque injusti, in quantum subjacent imperio voluntatis; apparet etiam non simpliciter affectus animi justus, aut injustus capaces esse: *b. e.* non omne irasci, & dolore, simpliciter jus aut injuriam habere conjunctum posse, sed tantum ratione quarundam circumstantiarum. In potestate etenim nostrâ non est sicut dolere aut non dolere, si vapulemus, sed non nimis dolere, nec ex quavis re dolorem concipere, nec omnipotere se macerare. Hacenus itaque affectus solum etiam ille justus & injustus, præmij ac pænæ est capax.

XXVI. Ex his porro & id perspicuum est, infantium Actiones neque Iustas posse rectè dici neque injustas, adeoque nec præmium verè nec pœnam mereri posse. Neque enim quidquam Infantes verè liberè agunt, quin imò libertate arbitrij destituuntur. Certè Franciscus Victoria quando *Relect. 13. p. 1.* libertatem arbitrij & pueris ascribit, manifestò abutitur phrasi illâ contra receptam significationem. Rectius Aristoteles *1. Polit. c. ult. Β8λευπκόν* illis ascribit, sed ἀταλδς & alibi negat illis inesse *μεγαλειαν*. Rectius & Æschili dictum:

*Ætas prima ceu brutum pecus*

*Ut educetur mentis aliena indiget.*

XXVII. Similiter manifestum est, furiosos atque amantes nihil jure posse aut injuriâ agere, adeoque nihil posse committere, quod præmio aut pœnâ afficiendum sit. Quoad usum enim rationis atque liberi arbitrij nihil à brutis differunt: itaque quod de illis dictum, idem & de his statuendum est.

XXVIII. Pertinent verò huc & illi, qui Aristotelè dicuntur φύσει δούλοι naturâ servi: ὁ μὲν γὰρ δούλος, ut idem rectè ait, *1. Polit. c. ult. ἕλως ἢν ἔχει Β8λευπκόν*. Nullo tamen modo id extendendum ad illum qui lege servit, alienoque imperio est subiectus; tametsi & de his dicat Philo:

Δὲ ἄλλο παρὸν αὐτῶν ἢ μετὰ τοὺς λόγους.

Quasi seruo omni pro ratione esse debeat voluntas domini. Primò enim non destituitur ille libero arbitrio : unde & præmijs hic & poenis à dominis afficitur. Deinde etsi ad obsequium obligatus sit domino, fieri tamen potest, ut peccet etiam obsequendo, ut infra monstrabitur.

XXIX. Quemadmodum verò infantes ac furiosi nihil possunt agere jure ob defectum τῆ βουλευτικῆ καὶ πρᾶξις. Ita sine dubio magis aut minus possunt justum quid aut injustum efficere, qui magis aut minus τῆ βουλευτικῆ sunt participes. Hinc nec ita fæminæ possunt injustum committere ut viri possunt, aut etiam jure agere. τὸ γὰρ θῆλυ ἔχει μὲν τὸ βουλευτικὸν ἀλλ' ἀπυρρον ut eleganter loquitur. *Aristot. li. i. Polit. c. ult.*

XXX. Sed de his quæ justæ & injustæ sunt capacia, satis fortassis est dictum. Inde verò nondum patet, quæ actiones sint justæ aut injustæ aut quare aliquæ præmiū aliquæ poenam recipia merentur. Multum enim interest inter id, quod capax est justæ & injustæ, & illud quod ejus est participes actu ipso. Multa enim neq; præmiū neque poenam nunc merentur, quæ tamen illam mereri fortassis possent. Ita deambulare in foro neque præmio nunc neque poena dignum est: possit tamen dignum fieri. Igitur demonstravimus quidem iolas libera actiones aptas natas esse, quæ justæ aut injustæ censeri possint : quid tamen illas tales possit reddere nondum dictum, nunc verò investigandum est.

XXXI. Sunt autem eâ de re diversissimæ prorsus hominum sententiæ. Alij enim omne justum atque injustum, quod in actionibus humanis spectatur, ab humano instituto credunt esse : ut justæ sint actiones, aut injustæ, tantum quod hominibus has aut illas hoc aut isthoc titulo dignari fueris visum. Ut calculi scilicet in abaco alij decem, alij

B 3

mille

mille valent pro arbitrato calculatoꝝ. Contra non multi nihil ab hominibus constitui posse arbitrantur, ob quod humanæ actiones justæ aut injustæ, vel panâ ac præmio dignæ censendæ sint. Sunt qui istuc omne dependere volunt à solo liberrimo divino arbitrato: Ut justum omne & injustum sit tantum ex arbitrario divino nutu eoque mutabili. Sunt qui sentiant aliter.

XXXII. In priore sententia fuit olim Euphemus; cujus est illud apud Thucydidem *l. VI.* Ἀνδρὶ πρῶτον, ἢ πλεὶς δὲ χεῖρ ἔχουσα ἔδεν ἄλογον ὅτι συμφύροιν: *Regi aut civitati imperanti nihil injustum quod sit fructuosum.* Nec aliter sentit Thrasymachus, qui cum disputat Socrates apud Platonem *l. de rep.* Inquit enim: φημί γδ ἐγὼ εἶναι τὸ δίκαιον ἕκ ἀλλοπῆ τὸ τὸ κρείττον. Ζημύροιν. Idem multis apud Romanos differere non dubitavit Carneades, vir qui ad fastigium Academiæ suæ pervenit, ut scil. non minus pro falso quam pro vero eloquentiæ viribus valuerit contendere. Is enim conatus est probare jura homines sibi scripsisse, quemque pro utilitate sua & moribus, nec alio metiendam justitiam quam usu: reliquum aut nihil esse aut summam stultitiam, ut qua inductus sibi quis sæpe noceat, dum vitat ne quod damnum det alijs: Romanis verò si aliam aliquam justitiam quam hanc velint sectari, redeundum omnino ad casus esse. Poëta idem quoque voluisse videtur cum scribit:

*Nec natura potest justo scruere iniquum.*

Imo non hi tantum ita sentiunt, sed & omnes illi quos Græci eleganter χροσφδίκας appellarunt: qui cum Achille *Jura negant sibi nata*, nihil non armis sibi arrogantes. Quo in numero multi omni tempore fuerunt, ut hodieque sunt plurimi.

XXXIII. Videtur autem idem posse & rationibus  
osten-

offendi. Primo enim si ius aliunde quam ab hominum arbitratu & quidem à naturæ iustituro dependeret, utique idem jus obtineret ubivis. Quemadmodum sc. reliqua naturalia uno eodemque semper sese modo habent. Ut ignis ubivis urit, nullibi friget. At contra planè sese res habet: quæ enim alibi iusta, alibi iniusta sunt, etiam si respicias quæ maxime videntur juris esse naturalis. Sic apud Lacedæmonios furta & adulteria, in Locrensisibus, Ozolis, Ætolis & Acarnensibus prædictiones olim fuerunt licitæ testibus Plutarcho in *Lycurgo* & Xenophonte *l. de rep. Lacæd.* Quin & apud majores nostros latrocinia nullam infamiam meruerunt; ut scribit Iul. Cæs. *l. 6. de bello Gal.* & Tacitus *de morib. Germ.* Ipse Homerus qui Horatio iudicè,

*Quid sit rectum, quid turpe, quid utile, quid non,  
Plenus ac melius Chryssippo ac Crantore dicit.*

Autolicum commendat ob furandi & pejerandi calliditatem. Taceo alios variarum gentium mores: quibus videtur in parte pietatis habitum quod natura maxime creditur esse vetitum.

XXXIV. Deinde quod homini damnosum est, utiq; id ab eo nulla potest natura postulare. Natura enim vult hominis conservationem. Atqui si quod aliud jus sit præter id quod unicuique expedit & placet; sæpe multa agenda fuerint quæ homini sunt noxia. Ita nimirum creditur virtutis esse atque omnino justum, mortem opperire antequam agas quid inhonesti. At mors est ultimum malorum, & naturæ quam maxime adversum. Vidit autem utriusq; argumenti vim & Aristotel. *l. 1. Nicomachio-  
rum c. 1. τα δ' καλὰ καὶ τὰ δίκαια περὶ αὐτῶν καὶ πολιτικὴ σκέπτεται  
ἕκαστην ἔχει διαφορὰν καὶ πλάνην, ὥστε δοκεῖν νόμῳ μόνον εἶναι, φύσει δ'  
μή. Τελευταία δὲ τίνα πλάνην ἔχει παραστὰς διὰ τὸ πολλοῖς συμβαί-*

161V



γενεθλαβάς ἀπ' αὐτῶν ἤδη γὰρ πῆς ἀπολείτο διὰ πλεον, ἐπει  
δὲ διὰ ἀδρείαν.

XXXV. Videtur porro & tertium argumentum pe-  
ti posse hinc, quod utilitatem omnia omnino animalia se-  
cuntur quasi hoc maximè sit naturale. Pro quarto quoq;  
argumento potest esse, quod pleriq; mortalium utilitate  
probenz justum & injustum etsi, interdum de honesto &  
justo aliquo naturali alio verba faciant. Videntur sc. rati-  
tè in hanc sententiam quasi inviti trahi. Iam verò quod  
plerisque placet id ubique videtur verum: τὰ κοινῇ φαινόμε-  
να πᾶσι. *Quae communiter ita videntur, fida sunt.* aiebat He-  
raclitus λόγον τὸν ξυγόν habens pro optimo veritatis κριτήριον  
Quam in sententiam & Cic. dixit: *In omni re consensus omnium  
gentium jus natura putanda est:* Et Seneca: *Argumentum ve-  
ritatis est aliquid omnib. videri:* Imo ipse Aristoteles id ἐνδοξον  
dixit, quod placet aut omnibus aut pluribus.

XXXVI. Verum enim vero, falsissimum tamen est  
jus omne ab humano esse arbitrato, neque ullum esse na-  
turae jus æternum homini datum. Demonstratur hoc  
ipsum. Quia certum est humanæ naturæ finem aliquem  
esse naturalem quem si velit possit attingere. Certum  
item & illum finem perfectiones esse obtinendum. Ad  
certum verò finem utiq; & certæ requiruntur actiones. Il-  
las ergo actiones omnino exigit natura quæ ad illum fa-  
ciunt finem, quæ verò huic efficiunt ac repugnant, illas  
prohibet. Sunt ergo quædam actiones quas prohibet, quæ-  
dam quas postulat natura rerum: adeoque non est huma-  
no arbitrato simpliciter permissum quidvis pro libitu  
agere aut omittere. Iam verò actiones quæ naturæ con-  
formes sunt, utiq; bene sese habent: quæ contra illi adver-  
santur, sunt peccata & sese habent male. Omnis autem bona  
& mala actio præmio & poena affici potest: quod idem est  
ac

ac esse justum & iniustum. Igitur manifesto apparet justum & iniustum aliquod in actionibus esse humanis, quod ab ipsa naturâ dependeat.

XXXVII. Facilis autem solutio eorum est quæ objecta sunt. Ad primum enim respondemus verum id esse quod dicitur, quæ naturâ sunt, illa ubi vis eodem modo sese habere: addendum tamen verum id esse tantum in ijs, in quibus natura sese habet rectè. Sic naturale est homini habere duos pedes & quinque digitos in singulis manibus. Et tamen sunt qui nascantur pede uno aut sedigiti. Ad eundem modum sese res habet de eo quod naturâ justum est. Ubivis illud tale est, ubivis tale habetur modo mens atque ratio sese rectè habeat. Quæ igitur gentes id justum fortè dixerunt, quod naturâ est iniustum, illæ profecto & mente laboraverunt. Responderet alij ad idem argumentum aliter. Nempe naturalia quidem eodem semper sese modo habere in sese, non autem necesse esse ut talia etiam videantur intellectui; adeoque ab intellectus iudicio non valere argumentationem ad rei ipsius naturam. Non bene tamen ita respondent. Nam & lumen intellectus à natura est, adeoque & à natura est, ut mens bene sese habens, ita & non aliter iudicet. Necesse ergo est, ut lumen rationis secundum naturam sese habens, semper uno eodemque modo iudicet. Ex consequenti igitur necessarium est, ut quæ lumini rationis rectè sese habenti modo bona modo mala videntur, illa in sese nihil quoque habeant certi. Quippe cum intellectus sit quasi speculum aliquod ipsarum rerum.

XXXVIII. In secundo argumento perperam sumitur naturâ justum quidquam esse quod homini sit damnosum. Est vero in sermone illo ambiguitas quædam. Homo enim constat animo & corpore: ut tamen potissimum ejus

C

lit

fit anima. Sunt autem quæ animo conducant, corpori minus: & vicissim sunt quæ corpori bona sint, animo non item. Simpliciter utilia homini ergo sunt, quæ aut animo & corpori pariter profunt, aut animo maximè. Quæ autem corpori soli quodammodo adversantur, illa non sunt simpliciter homini noxia, Quemadmodum nemo dixerit damnosum id corpori esse, nec in medicamento habendum quod linguam forte vellicat aut gustum amari- cat. Iam verò nihil natura justum dixit quod simpliciter & animo & corpori est noxium, aut quod animo soli oblit. Sed si quod corpori forte minus placet, id tamen animo maxime profuerit. Id verò quod seorsim de morte virtutis ergo appetenda adfertur, fateor haut parvi esse ponderis. Neque enim videri quomodo solvere hunc nodum possint, qui à morte negant, hominem posse beatum esse: quo in censu ipsemet est Aristoteles *l. 1. Ethicor. c. XI.* Illis enim mors est aliquod simpliciter homini damnosum, corpori inquam pariter & animæ: Si ergo natura nihil postulat fieri, quod simpliciter naturæ adversatur: Ergo nec natura mori iussit pro virtute: Id quod tamen verissimum est ipsius Aristotelis confessione. Nobis verò solvere illum nodum facile est. Negamus enim mortem esse aliquid simpliciter noxium, sed animam à morte quàm beatissimè posse vivere profiteremur.

XXXIX. Tertium argumentum aut loquitur de omnibus omninò animantibus ut & homo includatur, aut verò de omnibus homine excepto. Si posterius sit, nulla est vis majoris propositionis: utpote quæ integrè proposito syllogismo fuerit hæc: Quicquid appetunt omnia animantia præter hominem, id & homini est naturale. Si prius: vera quidem fuerit major, at falsa assumptio. Deinde, si prior sensus servetur, ne sic quidem simpliciter vera fuerit

fuerit minor. Omnia enim bruta aut aves, aut pisces nihil prius habere utilitate propriâ sui corporis, id verò falsum esse testantur matrum erga foetus suos affectus. Cernere enim est tanto erga foetus naturali amore matres duci, ut cibum malint sibi subducere, quam ut foetui quid desit. Quin imò non dubitant pro ijs in manifestum periculum ruere.

XL. in ultimo argumento verum est : quicquid plerisq; aut omnibus placet id rectum esse ; si de morationibus sermo sit, non autem simpliciter. Quemadmodum id aliàs explicatius ostenditur. Negamus verò plerosque mortalium multò minus omnes sentire : nihil justum esse nisi quod hominum cupiditati allubescit. Tametsi enim nimis multi sanè ità vivant ; nemo tamen est fortassis, quem lateat neminem lædendum esse, jus suum cuique tribuendum, quodque sibi fieri quis non vult, id nec alteri faciendum esse. S. Apostulus Rom. I. 8. scribit homines τὴν ἀλήθειαν ἐν ἀδικίᾳ κατήχων. Et c. II. 15. Gentes, ostendere opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium red-dente illis conscientia ipsorum, & inter se invicem cogitationibus accusantibus aut etiam defendentibus. Scilicet qui maxime velint id justum esse, quod libet, refelluntur tamen Occultum quantiente animo tortore flagellum. Nec hanc conscientiam potuit vel ipsa impia Epicuri philosophia ipsis impiis excutere, ut ut id conata sit. Usq; adeo innatum est

*Noctè dieq; suam gestare in pectore testem.*

Ergo si id verum, quod probatur omnib<sup>9</sup> aut plerisq; , utiq; verum esse aliquod naturâ justum quoq; ab hominum arbitratu non dependeat.

XLI. Si verò est aliquod natura justum, ut est, manifestum est quid sit sentiendum de illorum opinione, qui omne jus ac fas accersunt tantum à solo liberrimo Dei ar-

bitratu. Profitentur autem eam qui Fausti Socini hæresin sequuntur. Usq; adeo enim nihil per sese justum esse naturam credunt, ut nisi de novo per Salvatorem nostrum esset promulgatum illud, *amandum esse proximum*, aut, *non pejerandum*, *non furandum*, nihil horum homines nunc obligaret. Affines huic sententiæ sunt Guilielmus Occamus qui 2. *sent. dist. 19. ad 3.* omnia omnino legis naturæ & decalogi præcepta, Iohannes etiam Scotus qui 3. *dist. 27. q. un.* Bonaventura qui 1. *dist. 47. q. ult.* & Ægidius qui 1. *dist. 47. q. 3.* præcepta tabulæ secundæ quæ pertinent ad hominem statuunt relaxabilia esse divinitus. Hoc est, posse Deum efficere, ut quod lex naturæ prohibuit iisdem circumstantiis alicui licitum sit, imò ut quis id teneatur agere. Affines inquam illi sunt Sociniano illi dogmati, omnino tamen non favent. Concedunt enim naturale aliquod jus esse, cuius conscij sint homines, adeoq; quod obliget etiam si per Moysen aut salvatorem nostrum non esset denuò inculcatum: quæ omnia Socini sectatoribus negantur. At tamen & ipsi necesse habent fateri, naturale jus obligare tantum ex liberrimo quodam decreto divino & quidem relaxabili. Possit illorum autem hæc opinio videri probabilis reddi, eo quod ipse Deus imperaverit. Abrahamo filium suum jugulare, Israëlitis etiam mandaverit Ægyptiis commodato accepta eripere: quorum utrumq; natura est prohibitum.

XLII. Potest autem tam Socini quam illorum Scholasticorum sententia ex iis quæ hætenus diximus facile coargui. Primò enim si nihil naturam justum est, ut vult Socinus, ergo nec homines naturali lumine scire poterunt quid justum quid injustum. Sicut enim, quod homines liberi statuunt, non potest aliunde quam ex promulgatione legum nobis innotescere: ita nec quod Deus libere decernit

cernit aliunde quam ex revelatione potest cognosci. At  
verò experientia testatur nullam gentem tam efferam esse,  
quæ universissima illa juris præcepta ignoret, & modo au-  
divimus Apostolum dicentem cordibus gentilium, quos  
utiq; promulgatio legis Mosaicæ non movit, opus legis  
esse in scriptum. Præterea si nihil est naturâ justum, ergo  
ad quos olim non pertinuit lex Mosaica, illi neque pecca-  
verunt. Non pertinuit autem illa nisi ad Hæbræos. His  
enim peculiariter latam esse legem illam ipsa testatur, *Audi  
Israël* inquit. Atqui & gentiles certum est suis pecca-  
tis indignationem divinam esse meritos. Tertiò, si Deus  
eo ipso quo hominem creavit, ad certum aliquem finem  
illum condidit quem assequi deberet suis actionibus, utiq;  
eo ipso & jus aliquod ipsi tulit secundum quod deberet vi-  
vere, ut supra demonstratum est. Falsum ergo est jus om-  
ne dependere à subsequuta demum promulgatione per  
Mosen & Salvatorem nostrum.

**XLIII.** Contra Scotum porro & Occamum illud  
maximè est: quod sicuti omnes res æternam habent ve-  
ritatem, ita necesse sit ut æternam habeant veritatem ea  
quæ pertinent ad naturam humanam. Sanè condi res po-  
tuerunt & non condi, creari homo potuit & non creari:  
at creari homo non potuit qui non est animal rationale.  
Immutabiliter igitur verum est hominem esse animal ra-  
tionale: utpote cujus oppositum involvat statim contra-  
dictionem. At verò ad humanam naturam pertinent ea  
quæ diximus naturâ justa esse. Itaque & illa non minus  
sunt immutabilia atque æternæ veritatis quam ipsa huma-  
na essentia. Sunt, qui illos doctores oppugnent eo quod  
decreta Dei immutabilia sunt, præcepta autem legis natu-  
ræ sint Dei decreta. Ita enim colligunt Cajetanus *ad 1. q.*  
*100. num 8.* & Gregor. de Valentia *1. 2. disp. 7. q. 4. p. 6.* Sed

quum decreta divina alia sint *condemna*, alia absoluta, sumunt illi præcepta legis naturæ esse decreta absoluta, quod tamen in quæstione est quam maximè utpote quum id maximè negent illi quibus cum disputant.

XLIV. Quod verò objectum est de abrahamo & de Israelitis id unicâ potest responsione refelli. Nempe videri interdum mutari legem cum res aut materia, uti loquitur S. Thomas pereruditè, *1. 2. q. 100. a. 8. ad 3.* de quâ lex quid constituit, recipit mutationem. Exempli gratia: Lex jubet solvere quod debeo: Creditor autem acceptum fert quod debeo: ego etsi non solverim tamen non obligor solvere, non quia lex mutata est, sed quia id quod debebam desit deberi. Ita, lex naturæ vetat homicidium: jam verò occisio filii ad mandatum supremi vitæ & necis auctoris non est homicidium: itaque nec veritum. Certè non magis commisisset homicidium Abrahamus quàm carnifex qui capite plectit fontem jussu magistratus. Similiter, lex naturæ jubet commodatum reddere: at si id quod commodato accepi à magistratu mihi adjudicetur in mercedem justam, non id amplius commodatum est, sed debita mihi merces. Tale autem planè quid factum circa Hebræos. Quare Sapientiæ *c. X. v. XI.* scribitur: *Reddidit justis mercedem laborum suorum, & vers. 20. Iusti tulerunt spolia impiorum.*

XLV. Quanquam autem ex his satis pateat: jus aliquod esse naturæ, quod Deus non possit immutare, quodque cœperit cum ipsâ humanâ naturâ obligetque omnes mortales etsi nunquam id esset denuo repetitum divinitûs; omninò tamen verum est etiam hoc jus à Deo dependere. A quo enim tota est humana natura ab eodem etiam sunt ea quæ dirigunt illam ad suum finè. Quod  
nec

nec ipsi gentiles ignoraverunt: quibus hoc jus solet divinum dici. Poetae Themis Iovis filiam finxerunt eius assidere. Supra audivimus Hesiodum dicentem, Legem datam esse à Iove hominibus.

XLVI. Venimus ad alteram sententiam primæ profus contrariam: quæ statuit nihil iustum posse aut iniustum dici ex eo quod homines ita sancierint. Est autem illa sententia quadamtenus bipartita. Alii enim volunt ab hominibus nihil posse constitui quod saltem ad aliquam possit poenâ delinquentes obligare: Alii tale quid constitui quidem posse concedunt, nihil tamen quod obliget ad poenam illam quam merentur naturalis juris transgressores. Prius asserit Anabaptistica factio omnis, ne illa quidem excepta quam Faustus Socinus in novam hæresin transformavit. Posterius placuit Ioanni Gersoni, Iacobo Almaino ut & Ioanni Calvino. Negarunt enim leges civiles cujusquam conscientiam (uti loquuntur scholæ) obligare: quam tamen obligandi vim adscripserunt omnibus naturalis juris præceptis. Illi nihil prætexunt præter non nulla in novo fœdere à Salvatore atque Apostolis dicta, quibus omnis legislativa potestas, cum primis verò puniendi licentia, erepta hominibus videtur. His speciosiora sunt argumenta; quæ recenset Francisc. Victoria *Relect. de potest. civili*, & Cardinalis Bellarminus *lib. 3. de membr. Eccles. militant. c. 9.* nobis brevitate gratia repetere non libet.

XLVII. Verum enim verò utramque sententiam veritati adversari probabimus. Ut enim de priore agamus proximè Primùm nullo argumento ex lumine rationis petito potest ostendi, illicitum esse magistratui condere leges quæ ad poenam obligent. Ergò saltem naturali juri idisum



psum non adversatur. Quod enim cum illo pugnat necesse est pugnare etiam cum dictamine rectæ rationis naturali. Deinde, durante antiquo fœdere licuit id ipsum regibus aliisque magistratibus: uti apparet ex sacris literis: Ergo etiam hinc apparet naturale jus non repugnare. Quod enim Deus tum temporis non permisit tantum impune sed & diserte fieri jussit quodammodo, id profectò necesse est legibus naturalibus adversum non esse. Præterea sine quo humana vita rectè institui nequit, illud non tantum non adversatur naturæ atque injustum est, verum usque adeò illi conveniens ut meritò possit credi ab illâ jussum. Atqui sine legibus hujuscemodi arbitrariis non potest vita hominis bene sese habere. Prorenatâ enim multa indies occurrunt, quæ legibus arbitrariis sunt moderanda. Quod si autem natura jubet quasi leges arbitrarias aliquot concedere, necessariò vult etiam, uti illæ ad pœnam obligent. Lex enim quæ non obligat ad pœnam delinquentes, non lex est, sed inane legis simulachrum.

XLIIIX. Sunt qui idem probare conantur ex eo quòd lex naturæ universalis tantum contineat præcepta, vita autem humana debeat regi per conclusiones ex naturæ legibus deductas. Inquam sententiam & Bellarminus loquitur *lib. cit. cap. 20. & l. 4. de Rom. Pontif. c. 16.* Verum falsum est juris naturæ sola esse principia universalis. Simpliciter enim qui condidit universalis præcepta ille eo ipso condidit & omnia sub universalibus illis comprehensa. Ergo si legis naturæ isthæc universalis ejusquoq; sunt omnia præcepta necessariò inde consequentia. Deinde omnes illæ conclusiones tales sunt ut ab arbitrato humano non dependeant, sed obligent etiam si homines de novo illas non sciscant. At verè arbitrarium ac νόμιστον jus est quod obligationem primùm ex constituto accipit.

XLIX.

**XLIX.** Quo verò res pateat clariùs, quidque propriè ex voluntate jus veniat; observandum primò de multis actionibus humanis naturam rerum nihil alterutram in partem determinasse, sed simpliciter humano eas arbitratui commisisse. Nam exempli causa

— *Propria telluris herum natura nec illum*

*Nec me nec quenquam statuit;*—

ut ait Poëta : permillum tamen à natura est humano generi privatim agrum possidere, aut non possidere. Licita hæc sunt ac permilla atque in determinata, si naturæ legem spectemus. Solent hæc nonnunquam & iusta dici naturâ: alia tamen significatione, quàm quâ nos utimur: illâ scilicet quâ iustum id omne dicitur quod non est iniustum, hoc est, pœnam non meretur. Quomodo duo interdum contradictoria sunt iusta: ut possidere agrum & non possidere. Sunt alia quæ vel vetuit natura vel mandavit: efficiuntque propriè humanas actiones naturâ iustas aut iniustas. Quicquid enim natura vetuit, id si fiat, transgressorem pœnæ subjicit: ut contra si fiat, præmio dignum reddit obsequentem. Non uniusmodi autem hæc sunt: alia enim ita mandavit natura, ut delinquentes non tantum præmio nullo sed etiam pœna quâdam actuali affici mereantur. Alia ita solum iussit aut voluit, ut qui agunt secus tantum præmij non fiant participes. Posteriora hæc solent vulgò dici consilia, non iussa: quæ verò hinc dependent non esse propriè iusta creduntur, ut quæ ad pœnam nullum obligent. Sed fortassis rectiùs est quod nos attulimus. Etsi enim illa posteriora non obligent ad pœnam actualem, obligant tamen ad pœnam damni seu privativam. Postremò quæcunque iussit aut vetuit natura, illa vel iussit ac vetuit *κατὰ φύσιν*, simpliciter scilicet omnique tempore agenda omittendaque: vel *κατὰ νόμον*, posito nempe si

D

hoc

hoc aut illud placuerit hominibus. Ita simpliciter iustum est. Deum colendum esse: hypotheticum præceptum est, si homines velint bona sua privatim possidere, tàm alteri quod privatim possidet eripiendum non esse.

L. His positis observandum secundò est non uno modo humanas constitutiones circa hæc habere sese posse. Quæ enim indeterminata sunt lege naturæ, illa humanis institutis huc & illuc possunt fieri. Neq; enim recte dicuntur homines contra naturam agere, si ipsi illa determinent suis legibus. Contra enim propriè agitis, quia gitaliter atque iussit natura: non verò qui agit illa, quæ natura neque iussit neque vetuit. Ea propter neque accurate dictum censeretur, sed *παχυλῶς*, illud: *Servitutes esse naturali juri contrarias: iure enim naturali omnes homines ab initio liberos esse natos.* Neque enim natura scivit ut bello justo capti non serviant: sicut neque decevit ut serviant, sed utrumque humano commisit arbitratui. Quare & Nerva filius referente Paulo *l. 1. §. ff. de acquir. & amitt. poss.* ait, *dominium rerum ex naturali possessione capisse, eiusque rei vestigium remanere de his, quæ terræ, mari, celoque capiuntur. Nam hæc protinus eorum fiunt, qui primi possessionem eorum adprehenderit. Item bello capta &c. eius fiunt, qui primus eorum possessionem nactus est.* Naturalem possessionem appellans eam, quæ naturæ juri non est contraria. Quomodo & Aristoteles *3. Polit. c. 8.* dixit *πολεμικὴν Φύσει κτήρικὴν*, & Theophiluseam quæ bello fit acquisitionem ait. *de rer. divisionib. Φυσικὴν κτήσιω* appellavit.

LI. In primo ergo illo genere maximè locum habent instituta arbitraria, sive jura positiva aut *νόμιμα*. Proximè valent in iis quæ sunt vetita quidem aut iussa sed tamen non nisi conditionaliter. Illa enim potest voluntas humana ex hypotheticis reddere categorica, ità ut nullo modo

modo repugnent naturæ statutis. Ita si duo eodem, velint in museo vivere studiorum gratia, non dixit natura quem quisq; eorum locum sibi debeat capere, ac dixit quæ quisq; sibi capit ex eo vi non esse temerè extrudendum. Ut verò alter hunc alter illum occupet, arbitrarium est. Superior autem aliquis possit cuivis & locum suum assignare, quem nisi teneat peccet.

LII. Potest porrò humanum constitutum quod natura tantùm iussit; nulla adjectâ poenâ actuali, jubere sub comminatione actualis poenæ, adeoq; obligationem poenalem intendere. Nam nec in eo naturæ legi adversatur. Ita dare omni petenti natura non iussit metu poenæ alicujus rigidæ: id tamen jubere cuiquam lex possit humana. Præterea quæ natura vetuit vel iussit, illa suis legibus & homines jubere ac vetare possunt, novis ac humanis nempe præmiis ac poenis propositis. Postremò quæ natura vetuit illa permittere potest lex humana, non approbando tamen sed tantum non puniendo. Sanè talia multa esse non est dubitum. De his enim Cicero loquitur *orat. pro Balbo*: est aliquid quod non oporteat etiamsi licet. Ammianus quoq; Marcellinus l. XXX. *Sunt aliqua quæ fieri non oportet etiamsi licet.* Vbi licere tantumdem est quod impunè esse apud homines, minus propria tamen significatione, si sequimur Ciceronem. Ille enim *s. Tusculan.* de Cinnâ loquens, *Mihi, inquit, non solum eo videretur miser, quod ea fecit, sed etiam quòd irà se gessit, ut ea facere ei liceret: etsi peccare nemini licet, sed sermone errore labimur: id enim licere dicimus, quod cuique conceditur.* Imo quod quædam impunè liceant, vulgo creduntur & naturâ licita. Sic Pomponius ait in prætio emtionis & venditionis naturaliter licere contrahentibus se circumvenire. Nec tamen à natura hoc est, sed ab instituto humano. Nisi fortassis naturaliter ibi positum sit pro eo

quod recepti passim moris est: quod placet Hugoni Grō-  
tio l. 2. de jur. bel. c. XII. 26. Non injustas verò esse has per-  
missiones humanas, constat inde: quoniam quæ puniri ne-  
queunt ab hominibus sine periculo majoris mali, illa ut  
puniantur natura non exigit tantum sed & suadet ut mane-  
ant impunita. Quomodo in lege Mosaica multa impunè  
transeunt inhonesta tamen: & Salvator parabola docet  
zizania relinquenda ad messem usque ne evellatur & triti-  
cum. Nihilominus tamen verum est illud Modestini ff. de  
regul. jur. & l. 42. ff. de ritu nuptiar. *Semper non solum quid  
liceat considerandum, sed & quid honestum sit.*

LIII. Quin ergo præter jus naturæ aliud aliquod  
ab humano constituto possit salvo jure naturæ provicisci,  
id verò nullum dubium habet. Nihil verò etiam est, quod  
nonnulli imaginentur, quasi Christi lege id vetitum sit. Sa-  
nè haud diffitemur quæ lege naturæ licent, ut ab humanis  
institutis arbitrariis ità multò magis à divinis illicita pos-  
se reddi: neque ignoramus quæ Mosaica lege permessa sunt  
potuisse Evangelica lege prohiberi. Vetitum verò esse  
pernegamus. Nec tamen necesse est testimonia quæ lau-  
dant vel adducere hîc vel solve. Id sufficit annotasse.  
Si legislatoriam potestatem omnem ac punitivam abroga-  
vit Salvator, utique id factum oportuit non verbis ob-  
scuris aut paucis, sed sapiùs repetitis ac longè clarissimis.  
Alias enim quis crederet rem, si quam aliam, oppidò im-  
probabilem? Sublata enim illa potestate tollitur simul o-  
mnis societas non civilis tantùm sed & domestica, ut quæ  
& ipsa non possit sine legibus arbitrariis institui. Iam ve-  
rò heretici isti non possunt nisi unum alterumque dictum  
Salvatoris adferre, quodq; alium sensum habere posse, ne  
ipsi quidem possunt diffiteri. Deindè si omnia hæc à Sal-  
vatore sunt abrogata, utique & Apostoli idem docuerunt

per

per totū terrarū orbem. Si verò illi hoc docuerunt, nō potuerunt nō primā Ecclesiæ ætate ejus doctrinā per totum terrarū orbem vestigia aliqua superfuisse. At verò nec vola nec vestigium ejus ullibi comparuit. Contrā verò docetur in Novo Testamento, quomodo domini mancipia sua debeant tractare, parentes item liberos suos, & quomodo vicissim hi illis debeant obtemperare. Tantum abest ut imperium *διοποικιδόν*, aut potestas paterna corrigendi liberos, sint abrogata lege Salvatoris nostri.

LIV. Tantum est de Anabaptistico placito: nunc videndum quantum obligent jura illa arbitraria humana, quæque ejus hinc nascatur in actionibus humanis. Sanè communior sententia vult naturaliter quoque obligare illa humanitus constituta: pauci tamen rationem huius sententiæ reddunt philosophicam. Fortassis verò hæc vim demonstrationis habet. Natura jubet superiorum arbitrariis legibus esse obtemperandum, ergo leges illæ arbitrariæ obligant naturaliter. Prius patet illo quo ante sumus usi argumento. Sine quo homines secundum naturam benè vivere non possunt, id omne naturā mandatum est. Sine verò arbitrariis hujusmodi institutis non potest commode vita institui. Probatum idem & disertis sacræ scripturæ legibus. *Omnis anima, inquit Paulus Rom. XIII. 1. 2. potestatibus super eminentibus subjecta esto: non enim est potestas nisi à Deo: & quæ sunt potestates, sunt à Deo ordinata. Itaque quisquis obstitit potestati, Dei ordinationi obstitit. Et rursus v. 5. Necessè est subjici non tantum propter iram, sed etiam conscientiam.* Petrus scribit: *Subjecti estote cuiusvis humanæ ordinationi propter Dominum, sive regi ut supereminenti sive præsidiibus* Idem traditur *ep. ad Tit. III, 1.*

L V. Etsi autem hoc verissimum sit, non tamen

colligere licet: omnem planè legis voluntariæ transgressi-  
onem obligare ad culpam, uti loquuntur scholæ, ita ut  
pœnam mereatur quævis huiusmodi transgressio, qualem  
transgressio legis naturæ. Patet illud. Quoniam lex na-  
turæ etsi jubeat magistratui esse obtemperandum, non ta-  
men vult ut ulterius obtemperemus, quam ipse magistra-  
tus sibi vult obtemperari. Quod si ergo magistratus tan-  
tùm vult legibus suis quem obligare ad pœnam aliquam  
civilem: non plus etiam exigit lex naturæ, ut rectè innuit  
*Victoria Relect. de Potest. civili num. 20.* Ejus verò na-  
turæ, arbitror, sunt plæræque leges humanæ. Qua-  
propter qui transgressus legem pœnæ sese subicit civili  
non refractariè, hætenus jussu legis naturæ obtempe-  
ravit. Qui verò & pœnæ sese vult subducere, imo apertè  
reluctatur magistratui, ille verò jam legi naturali ad-  
versatur.

LVI. Humano igitur constituto verum aliquod  
jus posse oriri & quale, hinc constat. Sicut autem homi-  
nes sunt varii, ita & humanum jus varium sine dubio est.  
Scilicet si aliquot integræ gentes consentiant in unum ali-  
quod mandatum arbitrarium, jus oritur gentium volun-  
tarium. Si aliquot inquam consentiant. Nam in quod  
omnes consentiunt, id vix aliud quàm jus naturale est:  
quod ipsum Iuris Romani scriptoribus nonnullis jus gen-  
tium quoque dici solet. Sunt autem hodiè ejus gene-  
ris multa instituta Germanica, universâ ferè Europâ Ger-  
manicis gentibus inundatâ: ut olim jura Græca genti-  
bus plerisque fuerunt recepta. Quod rectè docet vir incom-  
parabilis Hugo Grotius *lib. 2. de iure belli cap. XII. §. 1.* Si ve-  
ro una aliqua civitas quid constituat, oritur jus civile: si pa-  
ter, jus paternum.

LVII. Sicut autem homini licet juri naturæ non-  
nulla addere, ita multò magis id Deus potest summus na-  
turæ arbiter. Potest inquam esse quid justum, quia Deus  
ita voluit, quodque non voluit Deus, quia injustum jam  
esset. Quod malè de omni jure indistinctè loquebatur  
Anaxarchus. Nec verò tantùm id potest esse, sed & ejus  
notæ sunt plæraque præcepta Mosaicæ legis, ac in Novo  
foedere ea quæ ad fidem in Christum spectant & Sacra-  
menta. Sed de his agere sublimioris est inquisitionis.  
Nos verò cum Aristotele concludimus *lib. V. Ethicor. cap.  
X. Jus aliud naturale esse aliud legitimum, naturale quod ubique  
eandem vim habet, & non quia vel ita videtur vel minimè: le-  
gitimum, quod à principio utrum hoc aut illo modo fiat,  
nihil refert, ubi verò fuerit insti-  
tutum, refert.*







AD

DN. BERNHARDVM FAVLIVM  
CONTVERNALEM SVVM

Carissimum.

**D**ISCERE Iustitiam res est præclara, sed illam  
Exercere etiam multò præclarius omnes  
Esse fatebuntur, quot quot virtute videbis  
Haut fictâ præstare, & delectarier actis  
Iustè, injusta autem veræ virtutis amore  
Speque boni fugere æterni cane pejus & angue.  
Tu de Iustitiâ loqueris: defendere veram  
Ejus naturam discis: res optima certè.  
Sed quam virtutem nunc hîc defendis, eâdem  
Fac ut & ò FAVLI, quondam sis præditus ipse.  
Sic spem non falles Patriæq; Patrisq;, sed illi  
Proderis: huic magno, mihi crede, futurus honoris.

scribebat

IOHANNES HENNICHIVS.

FINIS.

